

anonymastico nomine designavit, & quia præstans aliis, & quia præcipua, & quia prima inter Sacerdotales Urbes ex tribu Juda; ut dictum est.

Ad VIII. Deo difficile non erat facere, ut Joseph Elisabeth verba non audiret; vel si nolunt ad miracula confugere, quando præsertim in domo illa fere omnia, quæ evenerant, miraculosa fuerant; possumus insuper superaddere, quod Joseph cum Zacharia detentus non audivit, quæ ab Elisabetha dicebantur.

Ad IX. Zacharias, quia mutus erat, nequibat cum Josepho per verba tractare; at quia cæcus non erat, poterat agere per signa; & hinc est, quod veteris picturæ traditionem defendimus, & non eam Pictorum audaciam cogitamus, ut Serry nima licentia ductus, accusavit, scribens: Quare castiganda omnino venit Pictorum audacia, qui, ubi officiosum illud Mariæ Virginis ad cognatam Elisabetham aditum adumbrant penicillo, ambasque Matres inter se consalutantes præsentant; binos quoque Seniculos Josephum, & Zachariam mutæ salutationis officium invicem peragentes, effingunt. Bina utique stoliditate. Namque Joseph, ut probavimus, procul aberat. Zacharias vero surdus æque erat, ac mutus, peragenda consulationi parum idoneus. Mutum quippe diserte testatur Evangelium Lucæ 1. vers. 20. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant, seu nascatur filius: Surdum probat ejusdem capitis versiculus 26. Innuent Patri ejus, quem vellet vocari eum: nutibus enim Zachariam interrogare non fuisset opus, nisi fuisset & surdus. Unde pro eo quod in Vulgata legimus: Eris tacens, & non poteris loqui (quæ tautologia*

videtur esse) plerique Veterum legunt: *Eris surdus, & non poteris loqui.*

Ad X. Eadem est responsio, ac ad VIII, nimirum vel quod Deus effecerit, ut Joseph Mariæ verba non audiret, ut remaneret adhuc peracti mysterii inscius usque ad diem, quam ipse designaverat, vel quod cum Zacharia alloquens per signa, non adverterit quæ Desipara canebar.

Ad XI. Cornelius a Lapide nominat Jansenium, & alios, qui quidem plures fuerunt, & antiqui, & moderni Doctores, ut legitur apud Sylveiram tom. 1. cap. 6. qu. 8. n. 24. & 25. Bavarus autem in S. Joseph historia §. 12. rationem assignat, quare S. Lucas Josephum non nominaverit, cumque non dixerit, in comitatu fuisse; nimirum, quod hoc supponendum omnino erat, absque eo quod ab altero diceretur; & quia Joseph vir erat tunc temporis Mariæ, & cum ea in eadem domo habitabat; & custos erat etiam illius, & adjutor in itineribus, & in laboribus, & quemadmodum eam comitatus est in aliis itineribus, quæ B. Virgo suscepit, ita pariter & in hoc comitatu fuisse eam, omnino tenere debemus.

Ad XII. Indecens erat, ut uxor, puella, & prægnans, modesta, & verecunda sine Sponso suo per iter trium dierum pergeret, & per Hierusalem transiret, & in ea templum intraret, Deum adoratura. Quævis enim Matriona nec illi poterat præstare auxilium, nec solatium, nec præsidium, quæ a Sanctissimo Sponso, ac viro suo poterat jure merito obtinere. Accedit denique traditio antiquissima Ecclesiæ, quæ exprimitur in vetustis imaginibus; quæ quidem spernenda non est.

